BEATIS MANIBUS

NOBILISSIMI, ERUDISSIMIQVE

DOMINI, DN. JOHANNIS CZIMMER-MANNI,

SECRETARII THORUN. MERITISSIMI

AGNATI SUI ÆSTIMATISSIMI,

IPSA FUNERATIONIS DIE,

QVÆ ERAT 17. *Febr. A. M.DCCVII.*

LUBENTI QVIDEM SED LUGENTI CALAMO

PARENTARE VOLUIT

GEORG HENR. CZIMMERMANN,

THOR.

THORUNII,

Imprimebat Johannes Conradus Rügerus, Nobiliss. Senatûs & Gymnasii Typographus.

ΠPOSΦΩNHSIS AD NOBILISSIMUM DEFUNCTI PARENTEM.

QVam Naturam matrem venerari, eandem qvoq; novercam ſæpenumero deteſtari evenit, VIR MAGNIFICE. Dum ex ipſis triumphis debile hominum genus, in deplorandum dejicit miſeriarum pelagum; ut qvem pridem mortalium in nitidiſſimo mirari flore licuerit, huic mox lugentiſſimis ingemiſcere næniis & funeſtiſſima parentare Cataſtrophe, haud inconſulta depoſcat æqvitas; cujus tropæa Solis ſurgentis inſtar demum conſpici cœperunt, hujus jam exiguo loculo cadaver concluſum ebullientibus undiqvaqve lacrymis funerentur. Eqvidem tædet fari nefarium mortis audaciæ ſcelus, tam procaci impetu in NOBILISSIMO TUO FILIO admiſſum, qvæ dum fronte caret, nec ad tanta ſævitiæ ſuæ crimina erubeſcere potuit. Cœcum illius procul dubio imperium, cum, qvod vel in ejusdem pectus ſævum detorſerit ſpiculum, cujus vertex laurea adhuc rediminendus erat, tum forſan, qvod verita fuerit, ne vehemens lugentium commiſeratio duras illius atrocitatis leges uſpiam emolliret. Haud inficias eo, VIR NOBILISSIME, nunqvam ſine gemitu perditi commemorationem eſſe, cujus Tibi ſemper amata fuit poſſeſſio, imo

tragi-

tragicam potius tantæ calamitatis exiſtere pronunciationem, qvod non animum ſolùm tuum, ſed urbis totius viſcera ſvaviſſima ſui exhilarabat recordatione. Et dum publica qvoqve Obſervantia lamentabili comploratione ſuos funeſtat affectus, diruitqve gratæ mentis arcus, qvos olim dextræ lætitiæ teſtes in BEATUM prolixiſſimo excitavit affectu, non mirum, qvod & hæc ante actæ felicitatis recordatio tanto acrius mentem tuam exulceret, in animiqve penetralia crudeliter deſæviat, qvanto delicioſior unicæ Tuæ, non dicam Spei, ſed Gloriæ fuerat præſentia. Deplorabis ſcilicet, GENEROSUM PECTUS, in unius Filii funere multorum orbitatem, in evulſo corde, ademptam Tibi vitam, in amiſſa gemma, imminutum SANGVINIS pretium, in extincto radio Solis publici qvandam Eclipſin, ut nullum proinde dubium, qvin deſperatis his vocibus beatè defunctum compellas: *Aut nunqvam naſci, aut nunqvam mori debuiſſes.* Etenim non tanta doloris Tui eſſet acerbitas, ſi nunqvam amare potuiſſes; ſed qvo pronior animi in vivum fuit inclinatio, tanto gravior ejus Tibi accidit jactura; qvo dulcius Te poſſesſus recreavit, eo crudelius torqvet amiſſus. Verum prehende Lunam, MOESTISSIME AGNATE, qvo citius ab indelebili lacrymarum flumine

con-

conqviescas; hæc opacam suam molem Soli objiciens nullum sentit deliqvium, nisi nos subtractæ solum lucis tenebras compensare oporteat. Qvando Roma olim extorrem fecerat Catonem, nullum qvidem ipsius gloriæ damnum intulit, seipsam vero clarissimo tanti viri splendore privavit. Pari passu virtus eximia ambulat, cujus genuinus dum possessor velamine mortis tegitur, non illi, sed urbi hæc clades deploranda. Satis qvippe diu vixit, dum bene vixit, & gloriosius multo ipsi est sua virtute, qvam dono temporis senuisse. Qvo ergo citius corpus marcescit, eo citius ipsius effloret gloria, qvæ, cum langvoris inscia existat & expers mutabilitatis, vitam potius renovabit, qvam unqvam memoriâ labatur. Tu proinde, GENEROSE BEATI GENITOR, noli invidere suæ virtutis maturum immatura morte præmium, & qvassatis exulceratæ mentis anxietatibus ingenuo remitte animo, ne, cum Tuis qvoqve consiliis Civitatis regatur incolumitas, adeò pendentibus curarum fluctibus,

In qveis consilium vitæ regimenq́; locatum est

generosi animi vires debilitentur; sed clementissimum Numen, qvam plurimos Soles BEATO ademptos munificentissima addat, addat, inqvam liberalitate!

(o)